



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 258. Et hæc dicens exspiravit. v. 46.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

potentiæ obstitam: Ego enim solus obistere ei possum, illius de me ipsa bonæ ac sanctæ voluntati. Ergo te solum times? cum vero nihil est tibi contulius quam ut te ipsi totum tradas, & hostem, à quo tibi metuis potentissimo ac fidelissimo Domino custodiendum credas. Dic igitur, Pater manus tuas commendo spiritum meum, tene illum ne illo mihi obstit illius vis, sicut infans sibi obest gladio, stultus tormento, custodi eum, ne fugiat à te, qui nunc ab inimicis ad te confugit.

**E**ta Domine Iesu, sine delictorum nostrorum respectu, non secus atque ipse animam tuam gloriosam Patri cœlesti commendabas, ita tibi placeat animas nostras vitiosas, & peccati sordibus inquinatas eidem offerre & commendare, ut sanguine tuo pretioso emundatas non ad dexteram suam tecum collocare dignetur, sed saltem ponere supra scabellum pedum suorum.

§. 258. *Et hac dicens expiravit. v. 46.*

Cum diuinum verbum videret cursus sui finem adesse atque obedientiam se Patri iam compleuisse, proposuit sibi iter suum laboriosum tandem concludere, vitæque suæ ærumnosæ finem imponere, ideo vinculum ac unionem, quæ corpus inter ac animam erant dissoluit, sine omni tamen diuinæ personæ separatione vel à corpore vel ab anima sua. Quamobrem clarum validumque clamorem edidit, illoque suam agoniam terminavit, humanæque redemptioni finem impotuit, cum inclinatione capitis, & sui spiritus redditione in manum eius cui eum commendaauerat. Itaque conuulsi sunt oculi eius, flauescere ac nigrescere vultus, corpus omnino cepit frigore obrigescere & deformata coma, cruor concrefcere cor non amplius micare, & arteriæ tanquam fracto organo ab harmonia suæ musica desistere.

**O** Anima mea. O Cor meum anne tibi volupe est remanere etiam nunc in hac vita siquidem dator vitæ est mortuus! O mitissime ac dilectissime Domine Iesu, propter mortem, quam mei causa sustinisti; immensosque dolores mei causa exhaustos, rogo te quod cum dignus aut paratus non sim reuellere spiritum meum ex corpore tecum, nihilominus tamen grauissima mea peccata ex anima mea reuellantur atque ad compensationem pœnarum mearum tu eadem in tuorum meritorum & satisfactionis mari demergas. Etenim Pater tuus unicam acceptabit guttam potius tui sanguinis, quàm pœnas meas, quas mille annis igne purgante sum expensurus.

§. 259. *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum. v. 47.*

Quis fuit hic Centurio? vnanimi Pp. sententia dicitur fuisse ille quidem, qui lancea latus Domini aperuit, & hac ex occasione quod cum mor-